

DISSERTATIO ACADEMICA

DE

GRAVITATE POENARUM CIVILIU<sup>M</sup>,

---

QUAM

*Suffragio Amplisf. Facultatis Philosophicæ Lycei ad Auram  
Regii, die XXV Nov. Anno MDCCXCV, horis ante me-  
ridiem consuetis, in Auditorio Majori modeste vindicabunt*

HENRICUS VÖRLUND,

PHIL. MAG.

ET

JACOBUS BERNH. ESTLANDER,

*Ostrobotnienses.*

---

ABOÆ, in Typographia FRENCKELLIANA.

3.

1795.

DISSERTATIO WADERNICA

DE

GRATUITATE FORNARUM CIVITATE

QUAE

Syngio Aedificii Facultatis Philosophicae fuit ad huc  
Regii die XXX Nov. Anno MDCXCV. deus ante  
idem confectus, in Aedificio Martini modico conducto

*All-Lag skola vara sådana, at the tjäna till the  
meniga bästa.* DOM. REG. 7.

Pm-Mio

ET

JACOBUS BERGMANUS ESTLANDER

Officiarius

1792

ABOE, in Typographia FRANKELIANAE



§. I.

**D**issertationem de gravitate pœnarum civilium edituri, in memoriam vocamus effatum CICERONIS: "omnis, quæ a ratione suscipitur de aliqua re institutio, a definitione proficisci debet"; quare etiam pœnarum civilium definitionem prius adhibeamus oportet, quam de hac re disputare instituamus. Occurrunt quidem variæ a variis adhibitæ harum pœnarum definitiones; sed harum omnium palmam ceteris præripere nobis videtur Celeb. KOEHLERI (a), quæ dicit: *eas esse mala arbitraria, quæ a Superiore cum actionibus civium, salutis publicæ promovendæ causa, copulantur.* Hac jam adhibita notione pœnarum civilium, in aprico est positum, eas solummodo in constitutis Rebuspublicis locum habere. Homines enim quamdiu libertate fruuntur naturali, nullumque agnoscunt Legislatorem vel Superiorem civilem, nec pœnas civiles dare possunt. Si læduntur, jure gaudent inculpatæ tutelæ & vim vi repellendi. Ut autem

A

tem

---

(a) *Jus Nat. & Sociale.* Spec. V. §. 1103.

tem statum hunc suum reliquerunt naturalem, societatemque civilem, majoris securitatis & salutis obtinendæ causâ, inierunt; hocce jus suum in Magistratum vel Superiorem transtulerunt; qui Superior jure hoc sibi concesso utens, pœnis afficere dicitur peccantes.

Fuerunt quidem nonnulli minus sagaces Philosophi, qui plerasque e vita humana inde abrogare voluerunt pœnas civiles, quod durum & crudele illis visum sit, homines, brutorum instar, vi & ferulis a delictis non patrandis arceri, & ad officia sua observanda redigi; putaruntque præmia sola, sufficientia esse motiva officiorum extorquendorum, delictorumque cavendorum: oculatiores autem eos gravi erroris macula notandos recte censuerunt. Quam enim absurde hoc statuatur, vel ex indole mentis humanæ comprobari potest. Felicitate namque & commodis, quæ affert status naturalis, pravitate corrupti sua, frui non potuerunt homines: inde necessitatem societatis ineundæ civilis viderunt, & ad evitandum majus malum, minori, vel saltem possibili, se subdiderunt periculo. In hac autem societate pravam tamen suam retinent naturam, & invicem se incommodis lacesunt innumeris. Quod bonum, quodque honestum est, perspiciunt quidem; contraria autem non raro sectantur. Obliviscuntur causæ (salutis publicæ promovendæ) cur hancce inierint societatem, & suum, sæpissime publico contrarium, quærunt commodum. Hinc tot  
nascun-

nascentur maleficia dolenda, genus laniantia humanum, & salutem impediunt publicam: hinc stultitiæ, & calamitates, miseriæque omnis generis, quæ levibus impediri non possunt modis, sed gravioribus sunt reprimenda. Vident interdum homines, actiones suas legi contrarias noxam & damnum loco usus & commodi secum ferre, vel saltem in futurum esse laturas; vis autem affectuum eo usque valet, ut bonum præsens ac non nisi apparens, vehementer appetant, mala autem futura & infortunia graviora tanquam incerta & evitabilia spectent. Hinc facile apparet, nullam consistere posse societatem civilem, si validiora non adhibeantur motiva, quam præmia sola, quæ nunquam, vel nonnisi rarissime consuetudinem emendant malam, cupiditatemque impediunt peccandi, Poenæ autem (quando certæ sunt & promte infliguntur) legumtransgressoribus minantur & imponunt mala, quæ sensu suo doloroso superant voluptatem, quam ex peccato se habiturum sperat maleficus. Qui sensus doloris validius est adminiculum delictorum impediendorum officiorumque extorquendorum quam præmia cujuscumque generis.

Hæc observatio sponte illam nobis objicit quaestionem: quis finis sit poenarum civilium? Qua de re etiam dissentiant eruditi, nec convenire possunt de scopo & intentione, quam habuerint Legumlatore in poenis sancendis. Sicco, ut ajunt, eos prætereamus pede, qui fines statuerunt poenarum vel genera-

lem vel *speciales*, & ad eos considerandos, qui etfi hanc omittentes distinctionem, varios tamen admittunt pœnarum fines, nos conferamus. PUFENDORFIUS (a), ut alios, qui plerumque ejus fuerunt asseclæ, taceamus, tres imprimis statuit fines pœnarum: *utilitatem*, puta, *ejus, qui peccavit*, ut istius emendetur animus, & a libidine peccandi purgetur: *utilitatem ejus, qui læsus fuit*, ne tale in pœsterum ab eodem vel aliis patiatur: & *utilitatem omnium*, vel publicam, ut omnes a delictis deterreantur, salusque publica non turbetur. Hos autem si examinaveris tres fines, sub uno eo, salute sc. publica, comprehendi debere patet. Quod enim primum attinet finem vel utilitatem ejus, qui peccavit, observatu haud fit abs re, eum rarius obtineri. Ac in pœnis capitalibus nunquam ratio haberi potest utilitatis peccantis; sed solummodo publicæ. Fere idem de pœnis corporis afflictivis, vel famosis valet. Finis autem secundus, (seu utilitas ejus, qui læsus fuit) semper conjunctus est cum utilitate communi: & e contrario, nunquam obtinetur utilitas communis, nisi simul ejus, qui læsus fuit. Hinc lucide apparet, finem pœnarum civilium unicum esse, utilitatem puta publicam (b).

His;

---

(a) *Jus Nat. & Gent.* L. VIII. §. 9. sqq. Ejusd. *de Off. H. & C.* L. II. C. XIII. §. VIII. sqq.

(b) KOEHLER L. C. Præel. Mag. JAC. WEGELII Differt. *de finibus pœnarum.* Aboæ 1791.

His in antecessum observatis, facile apparet, cujus mensuræ & quantæ gravitatis adhibendæ sint pœnæ? Quam nobis imprimis hac disertatione proposuimus materiam paucis enodandam: non dubitantes Lectorem candidum hosce nostros juveniles conatus levi perstricturum fore censura.

§. II.

Actiones civium, quibus salus publica & securitas communis violatur, delicta & facinora vocamus: quæ actiones objecta sunt pœnarum civilium. In disquirendo, quantæ gravitatis & cujus mensuræ adhibendæ sint pœnæ; unum illud observandum necesse putamus: *ut sufficient ad facinora reprimenda*, quoniam salus publica aliter obtineri non potest. In pœnis igitur sancendis Legislatoris non est, moralitatem actionum in se respicere; sed solummodo, quatenus magis minusve utilitatem impediunt publicam. Tales ergo pœnas civiles sancire debet, quæ sufficientes ad bonum publicum conservandum sunt, adeo ut nec acerbiores nec leniores sint, quam coërcitio postulat eorum, qui illud turbant (a). Accidit autem persæpe, ut hoc in pœnis distribuendis non observetur. Adhibentur namque pœnæ quædam, quæ nimis sunt leves (h. e. quarum acerbitas non superat lucrum ac delectationem, quam ex facto legibus vetito ad se redun-

A 3;

dun-

---

(a) KOEHLER, L. C. §. 1119.

dundaturam putavit legistransgresor) quæ contem-  
 tum magis quam obedientiam pariunt. Si malum hoc  
 non præcavit Legislator, & lex ipsa & pœnæ sunt  
 non tantum inutiles, sed & noxiæ. Remedium enim,  
 quo utitur Superior ad malum tollendum, sine suo  
 non est adæquatum. Ea semper spe peccant subditi,  
 fore ut malas suas actiones absconditas habere pos-  
 sint, & aliquod lucrum ex suo peccato reportent. Si  
 pœnæ jam, quibus peccata præcavere voluit Super-  
 rior, non præponderant lucro, quod per transgressio-  
 nem legis scelestus civis adipisci cupit; nullum gignunt  
 obstaculum peccandi. Si aliquoties maleficia ejus ma-  
 nifesta evaserint, isque pœnas luerit; idem nihilo ta-  
 men minus machinatur postea delictum, quo sibi ac-  
 quirat reparationem passionis, quam scil. novis faci-  
 noribus patrandis obtenturum se putat. Oritur igitur  
 ex pœnis nimis levibus periculum publicum & li-  
 bido peccandi. Sed sunt rursus aliæ pœnæ nimis cru-  
 deles (h. e. quæ acerbiores sunt, quam ad delicta præ-  
 cavenda opus est), quibus ægre scopus pœnarum ob-  
 tineri potest. Homines enim ejus sunt indolis, ut  
 si feris admodum cogantur modis, rigidaque nimis  
 semper in peccantes videant statui exempla, feroces  
 & mente duri evadant. Si igitur Legislator tales cum  
 delictis conjunxerit pœnas, quæ nimis sunt acerbæ  
 & crudeles; patet hoc modo naturam subditorum ob-  
 duratum iri. Fieri etiam non raro solet, ut cives,  
 qui probi sunt. & quorum salus facinoribus turbatur,  
 mi-



miseriçordiã in peccantem moveantur, & cum eum ut inimicum publicum prosequi deberent, potius defendant, excusent & protegant, ne vis legis nimis acerbæ salutem ejus destruat. Quid! Si civis quidam, cupiditate vel studio lucri cujusdam adductus, legem transgrediatur nimis crudelem; patet eum sæpe inde fore paratum ad alia quæcumque scelera longe atrociora patranda, quibus nempe speret facinus suum tegi posse. Si v. gr. furta & cædes eadem punirentur gravitate, haud dubitamus, multos fore fures, qui ad furta sua tegenda eos occiderent, quos suos fore suspicarentur indices. Turbaretur de cætero opinio hominum de moralitate actionum, si nullum cerne-  
rent discrimen inter pœnas. In aprico igitur est positum, eas pœnas, quæ nimis sunt graves, ad facinora reprimenda non pertinere.

§. III.

Sed in determinanda debita pœnarum gravitate & mensura, variæ præterea se offerunt res considerandæ. In qua ardua determinatione non raro errant tam Philosophi quam Jurisconsulti, ipsique Legumlatores; quatenus scil. homines sunt, & omnia motiva peccantis cognoscere nequeunt. In pœnis igitur sancientiis, primum Legislatoris est officium, ingenium pernoscere subditorum suorum. Habet plerumque natio quævis singulare quoddam, quod characterem ejus constituit, quem vocamus, nationalem: & ad hanc  
indo-

indolem nationalem instituendæ sunt leges. Sunt aliæ nationes duræ, aliæ molliores, quæ tales etiam possunt leges. Gens scil. dura & barbara gravioribus opus habet legibus pœnalibus; quoniam motiva leniora duros hominum animos movere ægre possunt. Cædes & sanguis eos tantum a sceleribus patrandis deterrere valeat. Censuræ virtutis & horror peccati exiguum in eos habet effectum, Egregie de iis observavit BECCARIA, (qui anonymice opus conscripsit *dei delitte e delle penè*) nil nisi fulmina leones movere posse; quoniam ictus minores eos ferocios reddunt, paratiosque ad inimicos suos prosequendos. Sed ut natio quædam barbariem reliquit suam, minuenda est acerbitas pœnarum. Homines enim, qui jam altiore adepti sunt notitiam officiorum suorum, majoremque culturam ingenii, fortiori trahuntur sensu virtutis, majorique moventur horrore peccati: honor & ambitio magnum quoque in eos habent effectum; & consequenter leniori opus est pœna. Homines, qui antea motivis indigebant durissimis; verbulo jam moventur; male igitur ageret Legislator, si easdem adhuc retineret pœnas, quæ olim necessariæ fuerunt, Verbo: si gravitas pœnarum non est adæquata ingenio & indoli nationis cujusque, producere non potest effectum Reipublicæ, cujus causa sancita est, salutarem. Cum autem Legislator characterem suæ nationis diligenter examinaverit, nec difficile erit visu, ad quænam delicta proniores sint ejus subditi, & quænam

nam

nam difficilius præcaveri possint, uti etiam quorum irritamenta majora sint: quæ omnia gravioribus coërcenda sunt pœnis.

§. IV.

Deinde in pœnis sancendis ad indolem peccantis attendere debet Legislatoꝛ, adeo ut habeatur ratio cum suæ pravitatis, tum malæ jam contractæ consuetudinis. Et ad hanc normam ii, qui majori trahuntur cupiditate peccandi, majori affici debent pœna, quod aliter a sceleribus arceri nequeunt. Consuetudo peccandi acerbioꝛem quoque exigit pœnam. Qui enim semel, affectibus forsân magis, quam pravo studio adductus, scelus patravit quoddam, sæpe misericordiam meretur, & non raro excusatur; quoniam pœnitentia sceleris commissi, quam talis ostendit, majus interdum est pignus, eum tale in futurum non patraturum, quam pœna vel rigidissima. Sed qui jam sæpius peccavit, consuetudinemque peccandi contraxit, non æque facile a sceleribus committendis arceri potest; gravius ergo puniatur oportet: prava enim sua consuetudine in eum jam redactus est status, ut sensus virtutis horrorque peccati in eum nullum habeant effectum; quare etjam nonnisi sensu mali, quem gignit pœna a delictis deterretur. Sic v. gr. mitiori perstringendus est pœna, qui læto in convivio ebrius evasit, quam qui, consuetudine & libidine actus, sæpe idem repetit peccatum. Repititio enim

B fre-

frequentior ejusdem delicti deteriorem jam ostendit animum, hominemque duriozem evalisse probat; duriora ergo adhibenda sunt remedia.

§. V.

His autem diligentissime adhibitis cautionibus, restat nihilo minus difficultas non exigua in determinatione gravitatis poenarum infligendarum. Accidit namque, ut scelus quoddam omni sine consuetudine peccandi, ac quodammodo quasi fortuito committatur, unde maximum tamen capit Respublica detrimentum. Valet igitur heic canon ille: gravitatem poenarum aestimari imprimis debere ex detrimento, quod capit salus publica ex scelere quodam. Cum enim sciamus, omnes leges securitatis communis causa latas esse, nullasque adhiberi debere poenas civiles, nisi respectu ad utilitatem habito publicam; patet mensuram poenarum ad hanc normam imprimis exigendam esse. Talibus igitur in casibus Legislatori non licet tam ad intentionem agentis, quam ad periculum respicere publicum, cujus avertendi cura ei maxime incumbit; motiva, majora vel minora, quæ peccantem ad facinora patranda seduxerunt, ei, hoc respectu, curæ esse non debent, nisi quatenus magis vel minus ad salutem incitent turbendam publicam. Hanc autem regulam non pauci seposuerunt morum Doctores & Legumlatores, volentes omnes poenas ad agentis imprimis intentionem, per se spectatam, exacte  
exi-

exigere. Cum quo errore alius sese haud raro conjunxit, quo pœnas ipsi valori scelerum æquales infligendas esse voluerunt, in ratione sola securitatis publicæ tuendæ non persistentes: unde tormenta horrenda & cruciatus omnis generis originem duxerunt suam: quod principium, si admittendum sit, in infinitum fere sese extendant pœnæ oportet, adeo ut novo graviorique sceleri nova semper excogitanda sint tormenta. Diligentissime vero cavendum, ut pœnarum gradatio gravitati scelerum, ex detrimento, quod pariunt publico, æstimandæ non repugnet: quum alioquin inde turbentur ideæ subditorum de majori minorive atrocitate criminum, ac eos æque paratos sæpe reddant ad facinora graviora patrandæ ac ad leviora. Qua in re ex. gr. leges Japanensium tyrannicæ peccant, quæ delictis etiam minoribus capitæ pœnas, ex absurda ea ratione, statuunt, quod auctoritatis Imperatoricæ, leges sancientis, contemptio jam digna sit morte; quæ barbaries turpem simul naturæ humanæ prodit ignorantiam. Delicta igitur, quæ gravius salutem turbant publicam, gravioribus coërceantur pœnis, quam ea, quæ ei minus nocent. Sic v. gr. gravius erit puniendus, qui factiones & conjurationes salutis publicæ noxias machinatur (quoniam omnia solvere tentat vincula Reipublicæ), quam qui alterum in via ambulantem aggreditur; &c.

## §. VI.

Quoniam autem omnis pœna civilis publicam spectant securitatem; hic autem finis per solas leges pœnales non semper obtinetur: haud abs re fuerit, paululum attingere alia quædam remedia, quibus non parum arceri possunt delicta. Adhibenda namque sunt talia consilia, quæ ita vitia præcavent, ut pœnas reddant minus frequentes atque necessarias. Quorum in numero sine dubio locum obinet primum bona educatio. Si namque homines a prima infantia bonis imbuantur moribus, sensusque religionis vivus & efficax animis eorum instilletur; cuique apparet, eos tanto ferri horrore scelerum, ac male educati cupiditate peccandi aguntur. Hoc vel ex indole mentis humanæ constat, quæ docet, homines ea semper vehementer appetere, quæ delectationem quandam sibi afferre putant; quæ autem mala & damna, averfant. Imprimis, si Parentes, & alii, quorum curæ commissum est, vitia puerorum præcavere, exemplis iis prælucere præclaris; arriderent hæc ipsa exempla, & quasi contagione quadam benefica animos traherent infantum. & aliorum. Si deinde

IV. 2 28

hujus-

hujusmodi laudabili educationi bona accedant instituta a Superioribus profecta, quæ magis ad irritamenta malorum amovenda spectent, quam ad mala ipsa punienda; per se clarum est, hæcce adminicula majorem allatura Reipublicæ salutem, quam pœnas cujuscumque generis ac gravitatis, his sine adminiculis. Hæc autem obstacula vitiorum, et si in se sunt egregia; a bonis tamen vis eorum tuenda est Censoribus morum, quorum erit officium circumspicere, ne cives vitam degant otiosam, aliorumque alantur labore; ne lascivia juventutem corrumpat; ne studium ebrietatis, et contagio, quæ ex cauponarum abusu regiones quasi inundat, bonosque corrumpit mores, & fontes aperit fere omnium maleficiorum, crescant, sed, quantum fieri possit, impediuntur. Idem curare etiam deberent, ut industria tam præmiis, quam aliis quibuscumque rebus excitaretur & aleretur, quo homines communi nisu ad salutem publicam promovendam impellerentur. Est enim res observatu digna, in iis nationibus, quæ omnem, quatenus fieri potuit, proscripserunt pigritiam, pauciores existere cives scelestos, ac in iis, quarum vita, o-  
mni

mni quasi soluta labore consumitur; firmo namque  
 stat talo observatio COLUMELLÆ: *homines nihil a-*  
*gendo, male agere discunt.*

